

& adibus harum regionum, ut non à paucis, sed à multis Christus agnoscat & celebretur, totis pectoribus precamur.

Nunc dicendum est aliquid de Surijs, & Scurrarum similium insanis clamoribus, nostram augustam confessionem deformare conantibus. Mutatam dicunt illam esse aliquoties, & pallium esse sectarum plerarumq₃. Dicerem, Increpet te Deus, satana, nisi mitius responsum haberem, quod optimis quibusq₃ satisfacere potest. A privato non debuisse mutari vel in minimo scriptum publicum, & communi Electorum & Principum nomine Casari exhibitum, vociferantur. Mutatum vero nihil adeo esse novimus vel in minimo, quod ad res & sententiam capitum doctrine spectant: illustrata autem quaedam, & interdum copiosius explicata esse, non diffuemur, idq₃ non privato consilio tantum, sed publico doctorum nomine. Et tamen primum exemplum Principibus & alijs, nobisq₃ omnibus relinquunt integrum, qui & illud, cum allegant nominando Confessionem Augustanam, intelligunt, atq₃ ad id referunt unanimiter suae doctrine constantiam, neq₃ quidquam de mutatione vel verborum vel rerum, multò minus de corrupto, ut mendaciter loquuntur scurræ, aut aliter expresso ullo capite norunt, neq₃ Casarem aut Ordines Imperij nova Confessione circumducunt, sed quod semel Dei beneficio,